R. GOSCINNY **Asterix** A. UDERZO



Asterix et Cleopatra

composuit:
RENE GOSCINNY
pinxit:
ALBERT UDERZO
in Latinum convertit:
RUBRICASTELLANUS

FACINUS, QUO CLARIUS ATQUE PULCHRIUS NIHIL UMQUAM DEPICTUM EST

AD HOC VOLUMEN CONFICIENDUM OPUS ERAT XIV LITRIS ATRAMENTI INDICI, XXX PENICILLIS, LXII PLUMBIS MOLLIBUS, I PLUMBO DURO, XXVII CUMMIBUS AD LITTERAS RADENDAS APTIS, CXVII LIBRIS CHARTAE, XVI TAENIIS LINTEIS ATRAMENTO TINCTIS, II MACHINIS SCRIPTORIIS, LXVII LITRIS CERVISIAE

STUTGARDIAE SUMPTIBUS EHAPAE


RAX!
delirant isti Romani !


paulo minus valeo, Panoramix!...
nullo modo, Obelix, potionem magicam accipies! milies tibi dicebam te natum infantem in eam incidisse!

GOSCINNY ET UDERZO
IN MEDIUM PROFERUNT
MAGNUM ASTERIGIS TOMUM VI

ASTERIX ET CLEOPATRA

composuit: **RENE GOSCINNY** pinxit: **ALBERT UDERZO**



in Latinum convertit: **RUBRICASTELLANUS**


STUTGARDIAE SUMPTIBUS EHAPAE

Nachdruck 2000
EGMONT EHAPA VERLAG, D-70146 Stuttgart
EGMONT AG, CH-8308 Illnau
EGMONT VERLAG Ges.m.b.H., A-1120 Wien

Übersetzung aus dem Französischen ins Lateinische:
Karl-Heinz Graf von Rothenburg
Vokabularium: Hans-Joachim Walke und Karl-Heinz Graf von Rothenburg
Chefredaktion und verantwortlich für diese Ausgabe: Michael F. Walz
Chefredaktion Trendthemen: Georg F.W. Tempel
Satz: Fotosatz Egmont Ehapa
Gestaltung: Wolfgang Berger
Buchherstellung: Andreas Jakob
Originaltitel: »Astérix et Cléopatre«
© 1965 GOSCINNY-UDERZO
Copyright der ersten Veröffentlichung in lateinischer Sprache:
© 1980 EHAPA VERLAG GMBH
Copyright dieser Ausgabe:
© 2000 EGMONT FOUNDATION/
EGMONT EHAPA VERLAG GMBH/EGMONT AG/EGMONT VERLAG Ges.m.b.H.
Druck und Verarbeitung: Proost, Turnhout
ISBN 3-7704-0056-9

Gedruckt auf chlorfreiem Papier

**Wer mehr über Asterix und Obelix erfahren möchte –
hier werden alle Gallierfreunde fündig:
http://www.asterix.de**




anno a.C.n.L: tota Gallia, quae, ut vides, est divisa in partes quinque, a Romanis occupata est... Totane? Minime! Vicus quidam a Gallis invictis habitatus invasoribus resistere adhuc non desinit. Neque vita facilis legionariis Romanis, quibus sunt castra bene munita Babaorum, Aquarium, Laudanum, Parvibonumque...

QUIDAM GALLORUM...



ASTERIX heros noster est. qui subiit haec pericula. Ei viro bellicoso humili statura ingenioque callido omnia periculso mandata sine ulla dubitatione committuntur. Vim plus quam humanam ex potione magica Panoramigis Druidae trahit...



OBELIX inseparabilis Asterigis amicus est. Munus eius est ingentes cippos comportare, valde amat carnem aprorum. Obelix semper paratus est omnia ex manibus demittere, ut Asterigem ad novum periculum subeundum sequatur, dummodo apri et acerrimae rixae appareant.




PANORAMIX, venerabilis vici Druida, visca secat potionesque magicas miscet. Imprimis potio quaedam, quae vires incredibiles tribuit, popularissima est atque gratissima vicanis. At Panoramigi etiam aliorum potuum praecepta sunt...




CANTORIX bardus est. Iudicia de eius indole diversa sunt: ipse se ingeniosum iudicat, omnes ceteri cantus eius incredibiles esse sentiunt. At cum nihil dicit, sodalis hilaris atque alacer est, ab omnibus magni aestimatus...




MAIESTIX postremo princeps civitatis est. Augustus, fortissimus, suspiciosus homo rei militaris peritissi mus a suis colitur, timetur autem ab hostibus. Maiestix nihi timet nisi hoc unum: ne caelum in caput cadat. At ut ipse dicit: „Nondum omnium dierum sol occidit."




Alexandriae, in capite regni Aegyptiorum, in regia illius fabulosae Cleopatrae venustissimo naso praeditae...
contumeliosa dicis, o Caesar!
age, iam tandem concede, regina mea, tuos degeneravisse a virtute maiorum tantumque dignos, qui Romanorum arbitrio vivant servilem in modum!
populus meus pyramidas construxit! turrim Phariam! templa! obeliscos!!!
antiquissimis temporibus! nostris nihil aliud potest nisi exspectare, dum Nilus alveum excedat!
satis!
CRACC
populum meum adhuc ingeniosissimum esse tibi demonstrabo, o Caesar: regiam amplissimam tibi construet – tribus mensibus!
quod si tibi bene successerit, regina mea, me valde erravisse tuosque adhuc praeclari ingenii esse concedam!
... at dubitandumst!
celerius ira ardescit, attamen omnis venustast...
CRACC
... quod imprimis ad nares eius convenit!


paulo post...
annotatio: quo facilius lectores benevoli omnia intellegant, verba Latina ori dicentis adaptata praebemus...
Numerobis, te huc arcessivi, quia optimus Alexandriae architectus es... quod nihil est!
heu!*
*motus laborum minus conveniunt ad verba, cum ars dicta ori dicentis adaptandi illo tempore imperfectum fuerit.
desine repugnare! omnia quae construebas ruitura videntur! quae incolae loquuntur, per parietes audiuntur! tecta collabuntur!
materiae causa, quae nostra aetate in usu est! utinam pyramidas exstruere et...
fac sileas! tres menses tibi erunt! ut Alexandriae C.I. Caesari domum regiam exstruas magnificam!
tresne menses?
si tibi bene successerit, auro te obruam, sin minus, te crocodilis obiciam! fac abeas!
tres menses... ad hoc opus perficiendum mihi opus erit viribus supranaturalibus! utinam vir magicus me adiuvet!
iooo! crocodilos effugi! virum artibus magicis peritum novi!
in viculo quodam Gallico, qui longe abest...
CDXXI! semper idem! arte magica uteris!
he! he! revera utor!
ista alea Romana numquam nos occupabit...


pax, qua vicus invictorum Gallorum fruitur, mox turbabitur...
doceo artem cippos portandi hunc canem parvum!
praepara mensam, ut edere possimus hunc aprum magnum!
interdum mirabilis quidam peregrinus advenit...
dic mihi, quaeso, ubi sit Panoramix druida?
sedet in illa arbore visca secans.
heus Panoramix!?
pro Teutates? quem audio? quem video?
salve etiam atque etiam, amicorum optime!
vir Alexandrinus est!
introduco apud vos Numerobim, amicum meum, architectum Alexandrinum, quem in itinere cognovi.
haec est causa tam longi itineris: oro te, o Panoramix, ut me adiuves...
nisi intra tres menses Caesari domum regiam aedificavero, Cleopatra me crocodilis obiciet...
... et de me auxilio tuo carente actumst. uluuul!
possuntne edi crocodili?
tacedum, Obelix!
desine lamentari, Numerobis. nonnullos enim codices in bibliotheca Alexandrina recensere in animo habui...
... nunc tempus est, ut te in Aegyptum comiter!
nos quoque!
pro Osiris! verumne est?
bau, bau!



nave huc veni, quae ad oram in ancoris stat nosque exspectat!
sine ulla mora sarcinam constringamus, nostris vale dicamus teque sequamur!
agedum Idefix, canicula mea, iter pulcherrimum faciemus!
num tecum duces?
cur autem non, vir doctissime?
quia et minor est, quam ut tantum iter facere possit, vir indocilissime!
... et Aegyptus omnis redundat felibus. agedum, desine verba facere resque tuas collige!
semper idem! cum gloriam augeam aliorum, mihi ipsi omni aequabilitate carenti partes secundae agendae sunt!
paulo post...
per Teutatem, cari amici, oro,ut praestetis vos dignos in ripis Nili magno ingenio Gallorum neve caelum cadat in caput vestrum!
tibi capiti nostri, o Maiestix, gratias vosque omnes valete!
ped!
prem!
quid?
nullo modo cantabis, Cantorix, nullo modo!
BONG
BONG
BONG
neque vero cantare in animo habui... tantum dicere volui eum pede me premere!
paulo post...
bau, bau!
?
egomet ipse baubatus sum. quia dicere mihi noniam licet, baubor!
vicisti, pertinacissme! emitte caniculam e sacculo!
ecce Nausiabilis, navis mea!


ancoram tolli iube, Aquadeste!
iure iurando affirmo: nescio, quomodo in sacculum venerit!
age, age! nisi celeriter ascendis, aestus nos praeveniet.
perfrigido aquilone concitati longum iter in Aegyptum proficiscuntur, in regnum clarissimae Cleopatrae.
in Aegypto nobis repugnandum est et temporis operariorumque inopiae et Romanis, qui quominus sponsionem a Cleopatra factam vincamus prohibere volunt.
et imprimis architecto semper mihi aemulanti atque obtrectanti, cui est nomen Nilomagis... ei sunt multa talenta.
estne ingeniosus?
immo ditissimus est! ei multa talenta auri sunt, quibus nummis utimur.
et in itinere nobis cavendumst a piratis!
de hac re nihil est, quod te moveat.quid tu ais, Obelix?
revera haud procul inde...
facite caveatis, pueri, illos Gallos! ut enim hanc navem obtinerem, Erix filius meus obses mihi dandus fuit. vitemus igitur naves Gallicas, Romanas, Phoenicias, quibus uti solent!
navis Aegyptia a dext'a!
optime! reficiemus nos! omnes parati este ad navem transcendendam!



quid custos dicit?
navem piraticam a sinistra apparuisse!
ain tu? nonne per iocum dixit?!?
sunt qui, Asterix, sunt qui!
ioooo! ioooo! assumus!
verum non est! mente captus sum!
sunt, qui!
fugiamus, si tempus datur!
tempus non datu', naua'che! nobis cele'io'es sunt! quid e'go faciendumst?
nosmetipsos mergamus, quod melius est mergi quam vapulare!
paulo post...
nos refecturos esse nos ipsos dixisti. neque vero refecti, sed potius con-fecti sumus. alea iacta est!
nisi statim garrire desieris, te crus tuum ligneum devorare iubebo!
non licet! mali fures! non patiar!
incredibile visu! vos conspicati piratae contendere recusant navemque suam mergunt!
multa consuetudine coniuncti inter nos sumus!
aliqua nocte post longum atque tranquillum iter...
quod lumen procul in finiente lucet, Numerobis?
turris Phari est, ad cuius nocturnos ignes cursus navium diriguntur, Asterix.
cras Alexandriam pervenerimus.
navesne reguntur turri? delirant isti Aegyptii!
est quidem unum e septem miraculis, Obelix!



postridie mane...
ut primum navem appulerimus, vos in regiam comitatus reginae commendabo.
in regia sua Cleopatra sumptuosa sumere parat margaritas aceto dilutas, quem cibum maxime appetit.
pro Osirirs! ubi est forceps margaritarius?
munere tuo fungere, praegustator!
iam fungor, regina mea!
puella gulosa, quae iterum quattuor margaritas in acetum suum intinxit!
vae me! abhorreo ab aceto spumosiore!
Numerobis architectus, ut sibi aditus detur, petit.
adeat!
o regina mea! vobis amicos meos Gallicos commendare velim, qui me iuvandi causa venerunt.
Idefix!
rrrrrr!
iuventquidem! sed properate, quia nulla mora est. Caesar me die nocteque lacessit. si pensum in tempus absolveritis, vos multo auro delectabimini... sin autem minus, crocodili vobis!
...quod autem te, Numerobis, loco Nilomagis tibi invidentis regiam Caesaris aedificare iussi, ille maximo afficietur gaudio, si cursum honorum tuorum in ventre crocodili finies! nunc tandem vos amovete!
peiores quidem mores eius, at nares venustae.
immo venustissimae.



vos domum meam invito...
NVMEROBIS
estne haec domus tua?!
re... revera est... ego equidem aedificavi!
ostium quidem nondum aperiri potest.. me descriptionem aedificandi delineantem erravisse apparet...
adiuvem te!
RACCC
mitte haec, Obelix!
ne ei suscensueris. nam ratio haec aperiendi longe efficacior est.
TRAMP! TRAMP! TRAMP!
cavete, ne labamini per gradus!
revera auxilio nostro egere videris, Numerobis!
hoc loco laborare soleo. atque hic scriba meus est, Faximilis, amicus fidissimus, qui perfecte utitur vestra omnibusque linguis viventibus velut Latina, Graeca, Celtica ceterisque...
bonusne est status tuus, scriba?
oh, est quidem sessio vel potius subsessio.
quomodo aliquis scriba fit?
artem scribendi didici per litteras, quas schola optima mittebat...
... quae iure affirmat omnes delineandi peritos scribere posse!




mene vult Nilomagis architectus? admitte eum!
ne longus sim, Numerobis, una domum Caesaris aedificemus! qua ad diem confecta aurum inter nos dividamus.
sin autem diem excesserimus, te solum crocodilis praebebis, quia alterum e nobis devorari satis est.
tecum aedificare recuso, cum servos tuos ex pacto operantes funditus perdas, cum crudelem atque fallacem te praebeas.
abi in malam rem!
hoc te paenitebit! videbo enim, ne Cleopatra sponsionem vincat; quo facto cum amicis tuis crocodilis obicieris, quibus felix convivium sit!
?!?
TOC
TOC
BOING
CRACC
dens invidus ei est!
toto rictu hiavit!
homo vorax...
... et mordacissimus est!
abstinete vos, quaeso, hisce verbis...
... quia mihi crocodilos in memoriam reducunt!
SNIF!
SNIF!
Idefix!!!
velim mecum ad aream domus aedificandae veniatis ad extremam Alexandriae partem sitam, ubi, quomodo nos aedificare soleamus, intellegetis!
RADABUM
?!



ecce aream... iam optima saxa e lapicidinis media in Aegypto sitis afferenda curavi...
servine isti sunt?
immo non sunt, magna enim servorum inopia est. nullo modo ad laborem adduci possunt, quia in maiorem libertatem vindicati sunt. isti operarii liberi sunt.
at quorsum lora?
homines apud nos non nisi loris caesi laborare solent. ceterum lora cupidissime appetunt...
persuadete vobis!
BUUUUUU
!
!
CLAC!
rationes mirae!
immo omnes his rationibus contenti sunt. nulla ratione quisquam mane celerius excitatur nisi levibus verberibus stimulatus!
BUUUUUU
tempore meridiano labor intermittitur. mecum in tentorium venite, ut descriptiones aedificandi cognoscatis.
sed isti duo cur non laborem intermittunt?
tempus superadditum laborant.
CLAC!


ad operarios, qui otio ac lentibus coctis* fruuntur, aliquis inopinatus accedit...
*Aegyptiis maxime acceptae sunt.
... cuius proposita ad alliciendos omnium animos aptissima videntur.
he, he, he he, he!
cum cornu signum datur intermissionem exisse...
BUUUUUU UUUU
... operarii ad solitum opus regredi...
... nolle videntur.
caput, operarii ad opus susceptum proficisci recusant! ab aliquo contra vos sollicitati esse videntur!
?
sanguis mihi in venis concreturus est! crocodilis ad vescendum aptus non ero!
eo melius est! an eis cibus delicatior esse vis?
at crocodili sacri sunt, quibus quidlibet apponi non licet!
delirant isti Aegyptii!



videamus, qua de re agatur!
id ipsum suspicatus sum: deminutionem poscunt!
auctionem dicere voluisti?!
non agitur de mercede augenda, sed numerum plagarum deminui poscunt... cum autem plagas deminuero, tardius laborabunt, ut aedificium ad diem constitutam non peragamus!
lamentatione tua aures meas refercis! haec ratio homines loris tractandi inhumana est! Asterix, ignem accende alacrem sub illo aeno!
vobis demonstrabo, quomodo aliquem, ut laborem subeat, commoveam!
te commoveri non necesse est!
sit ita...
da eis exemplum dignum, quod imitetur, Asterix!
bau!
bau!
POP


vere prodigium est!
est ita! tuos omnes ordine instructo haustum potionis meae sumere iube!
abi!
iam eo!
abi!
quomodo me recognovit veste quamvis mutata?
omnes maximo cum gaudio labori se dare apparet cantando ridendo iocaque agendo, quae converti non posse piget...
procedit opus celeriter.
rrrrrrrrrrrr!
?
GRRRRRRRR
cae, cae, cae!



illi magi peregrini potione sua occulta perficiunt, ut Numerobis triumphet. aliquid mihi agendumst!
Hepatitis!
ad omnia, quae velis, Nilomagis, praesto adsum!
Numerobis saxa exspectat, quae meridie per Nilum advehi audivi. hoc auro, ne umquam perveniant, effice!
Hepatitis naves, quibus saxa advehuntur, repperit auroque celerrime duci scrupulum eximit...
saxa deicite de navibus!
nec tamen in ripam, sed in alteram partem!
PLOP
operarii ex Aegypto meridiana orti sine ulla dubitatione oboediunt.
PLUP
PLAP
non cuivis homini contingit adire Corinthum!
revera princeps mente captus videtur!




qua de causa operarii noniam laborant?
saxis egent. inquietus sum, quia naves alia saxa advehentes tardatae videntur.
heus Numerobis! dux navium cum saxis venturus est!
deis gratias!
!
et lapicidinas iam exhaustas esse affirmat et nihil apportasse nisi id ipsum et sibi pretium itineris a nobis solvendum esse.
eum mentiri credo!
licetne eum loquacem reddere? licetne?
at ne loquaciorem reddideris!
quomodo convertas: *loquere?*
TAX TAX TAX TAX TAX TAX
bau! bau! bau!
dicit et se a Nilomagi aurum accepisse, ut saxa in Nilum deiceret, et copiam saxorum in lapicidinis suppetere et se plurima afferre velle. ceterum petit, ut eum non ita acriter verberetis iuratque per Isim Osirim Serapimque se numquam hoc facinus repetiturum.
ne iterum fallamur, eum saxa petentem sequamur.
sit ita, sed properandumst. periculum in mora est.
POP



paulo post...
ubi ad Nilum pervenerimus, adverso flumine ad meridiem navigabimus.
interdum Nilomagis acturus est nescio quid...
illos peregrinos arte magica peritos saxa petitum naves conscendisse accepi. fac, ne revertantur!
navium agmen per tranquillas Nili aquas lente labitur...
lenti sumus!
lentissimi!
et lentiores!
naves ad ripam regi funibusque solidis coniungi iube!
tandem paululum exerceri libet!
?
pro Teutates! cum eum infantem in aenum potionis magicae plenum incidisse sciam, vires pueri miror iterum iterumque!
nocte appetente quiescunt in ripa fluminis...
quid video? lentes neque minimum quidem aprum! me post has epulas invalidum esse mirum non est!
cras Sphinga et pyramidas spectatum ibimus, quae sunt haud procul inde. est operae pretium!
at in umbra insidiatur inimicus dolosus...
he!
he!
he!


surgite, pueri desidiosi! sol iam ortus est! Sphinga pyramidasque spectatum eamus!
mmm! paulisper modo! mmm...
paulo post..
quid nunc dicitis? nonne operae pretium fuit nos iter paulum produxisse?
mirum, pro Belisama!
MEMORALIA
MEMORALIA
Idefix, noli eam lacessere!
rrrrr!
peregrine honeste, visne me sculpturam tui prope Sphinga stantis effingere?
cur autem non? casam meam ornabit.
nos spectatum eamus.
bene!
praebe, quaeso, latus alterum faciei atque state immobiles umeris promotis!
summam Sphinga credo pulcherrimum circumspectum mihi praebituram.
fac redeas, Obelix! ascendere sine dubio vetitum est!
Asterix semper imperium in me habere vult!
!
CRACC
?


optime fecisti, Obelix!
snop!
TOP TOP TOP
fortasse agglutinari potest?
caudex! tamen bene accidit, quod nemo nos vidit. ita nasum in arenam infodere optimum iudico.
paulo post...
factum!
non puto quemquam postea hic scrutantem effossurum.
Idefix!!!
nobis abscedendumst, Panoramix! omnia tibi explicabo!
explicabisne? quid explicabis?
sed simulacrum meum nondum perfecit!
?
id vehementer doleo, quia omnia simillima erant... imprimis Sphinx...
qu... quae
Sphinx?!
MEMO
TOC
TOC
novistis autem nunc, cur Sphinx naso caret. maximum damnum est, quia nasus numquam iam repertus pulcherrimus fuit etiamsi minus pulcher quam Cleopatrae, qui, ut supra diximus, venustissimus fuit!
TOC TOC TOC TOC TOC TOC TOC TOC TOC TOC TOC TOC TOC TOC TOC TOC TOC TOC


pyramidas, monumenta regum suorum, exstruendo Aegyptii orbi terrarum praeclarum miraculum reliquerunt!
revera praeclarum!
vah! nihil est prae cippo pulchro!
viginti saecula de his pyramidibus nos prospiciunt, Obelix!
vestrane interest interiora pyramidum cognoscere?
neminem haec monumenta penetrare posse credebam...
delirant isti Aegyptii!
expilatores iam intraverunt... perpauci eorum evaserunt...
sed tam honesti spectatores mihi confidere poterunt.
bene. gaudio nos afficis.
mane hic, quia interior pyramidis pars periculosior tibi... si canicula proba fueris, magnum os accipies!
intra pyramida...
semper me observate! nam me duce carentes labyrinthum viventes non relinquetis.
intrate, quaeso! haec porticus magnificis litteris hieroglyphicis ornata est.
RAMMM
...quam numquam relinquetis, peregrini! hoc sepulcrum vestrum erit!




si umquam evaserint, numquam iam crines meos abscidam, pro Isis!
agite, primum ista porta aperienda est.
haec omnia sub cippis nobis numquam accidisset!
quae cum ita sint, a me, Obelix, primum et ultimum aliquid potionis accipies.
ain tu?
si tibi promissum est!
una, duae, tres guttae satis sunt!
nunc istam portam aperi!
magno usui mihi fuit pyramida intravisse...
VAP
SISSSSS
me post potum non alium esse arbitror quam ante...
exitus nobis reperiendus est ex innumerabilibus labyrinthi cuniculis.
hic Rhodus, hic salta!
profecto pluribus horis post...
iam decimum huc revertimus... regibus Aegyptiorum optimi architecti fuisse videntur!
res in discrimine est!
in summo discrimine: esurio!


in interiore pyramidis parte...
arte mea nos hinc educere non possum... hoc ultimum periculum puto, quod subiimus, per Belenum!
miseret me nostri Numerobis... auxilio nostro egens in crocodilo esse desinet!
me miseret autem caniculae meae, nonne, Idefix? ...
Idefix?!
revera adest! sed nolite me reprehendere, quod caniculam mecum duxerim! immo ispa sola huc venit!
verum dicis: ipsa sola, i.e. sagacitate odorandi, qua nos hinc educet!
profecto verum est!
Idefix, si nos hinc eduxeris, ingens os accipies!
duo ingentia ossa!
sescenta ossa!
peto a te, ut ignoscas, Obelix. iure optimo tecum duxisti hanc caniculam!
credo nonnumquam eam omnia intellegere, quae dicam.



?
illi peregrini evanuerunt. te iter pergere non necesse est.
teneo.
magi! magi estis! superiore quadam natura sola reditum reperire potuistis e...
TOC TOC TOC
TAX
naves Nilum adverso flumine navigantes iter pergunt...
SCROC SCROC SCROC
... in quo amici nostri nonnumquam se delectant excurrendo e.g. Thebas...
nullo, nullo modo, Obelix, hoc monstrum in foro vici nostri pones! magnum risum moveres!
revera numquam consentimus.
eodem tempore Alexandriae...
o Nilomagis, mi domine... illi magi sunt! superiore quadam natura praediti!
!?
e labyrintho magnae pyramidis evaserunt!
revera arte magica praediti sunt!
quo magis nescio quomodo prohibendum sit, quin Numerobis eis adiuvantibus domum regiam aedificet!



post multa stadia* itineris...
tandem revertistis, amici!
atque satis saxorum nobiscum ducimus, ut domum perficiamus!
*homines antiquitus modo stadii utebantur. si versus Alexandrinus duodecim pedes, stadium quadraginta duo Alexandrinos continet.
opera auxilio potionis magicae celerrime procedunt...
certiorem te faciam Cleopatram huc venire areae inspiciendae causa!
nisi aedificandi descriptiones corrigerem...
revera...
nolite morari! veni incognita atque sine ullo apparatu... pergite! bene facitis.
incredibile visu, nasus eius venustus est!
et quidem venustissimus!
vidistine nasum eius, Idefix?
eodem tempore, apud Nilomagum.
consilium, consilium desidero!
adiuva me! ultimum tibi impero, ut caput deradas!
non possum, domine. vovi...
venit mihi in mentem consilium horribile!
TAC



perfer ad Cleopatram reginam hunc fasciculum!
perferam, domine!
paulo post...
donumne? cedo!
placenta? praeterea nuntius inest.
HONORIS CAUSA REGINAE REGINARUM DEDICATUM A TRIBUS GALLIS
amabilissimi sunt! fac redeas!
profecto nasus eius venustissimus est!
dispensator!
hanc placentam vesperi mensam secundam apponas!
cena exigua... sola ero. ergo: quadraginta saltatores atque saltatrices, octoginta musici, trecenti cibi simplices sufficient...
vesperi in area Numerobis...
cenemus! cenemus! aper apponitur, qui triremi advectus est.
venimus, ut tres Gallos comprehendamus! regina iussit!
?!


quid ergo faciendumst? eos verberemus?
manus abstinete! periculosum est Cleopatrae resistere!
paulo post...
vos, Galli, me ista placenta venenata necare conatos summo supplicio afficiam!
placentane? qua placenta?
praegustator meus vocetur!
CLAP
videte, qua in conditione sit, postquam aliquantulum placentae vestrae gustavit.
ei, ei, ei!
at omni culpa caremus, per Teutatem!!!
nihil iam audire volo!
at...
si regina nihil iam audire vult, nihil iam dicendumst... hoc tempore!
abstrahite eos et crocodilis sacris apponite gustationem!
cur autem me, quin nos purgarem, prohibuisti?
quia consilium quoddam cepi...
ceterum cum Cleopatra disserendum non est... malis enim moribus est, tamen venustissimo naso praedita!


super ignem assari videor, cum aper assus atque amissus mihi in mentem venit...
da mihi istam urnam aquae plenam, Asterix!
quidnam praeparas, Panoramix?
antidotum. bene contingit, ut hunc sacculum semper mecum ducam...
bibite!
antidotum – quid est?
portam carceris aperi, Obelix!
de via decede! exitur!
he, he! he, he! he, he!
CRAAAC!
delirant isti Aegyptii! exitu indicto negant de via decedere...
nunc autem Cleopatram adeamus!
haud dissimilis ista imago... sed taedet me imaginum obliquarum... potesne imaginem transversam facere?
o, ego, leges artis, quae nunc sunt...
licetne?
TUX
TAX
?!!


Galli, quia me necare constituistis, vobis, quomodo regina mortem obitura sit, demonstrabo!
at necesse non est, pro Teutates! tandem audite, quae vobis dicturi simus!
mihi persuasum est illam placentam venenatam non esse! contra iucundissime sapere!
ain tu? ergo etiam edere vobis licet. placenta apportetur!
CLAP!
id ipsum vobis demonstrabimus, o regina!
ibi aliquid video!
Obelix, estne tibi culter vel simile quoddam?
licetne?
deseca tria segmenta huius placentae!
dictum factum!
nonne audivisti tria, Obelix?
age, age, nonne tria secavi?
o hominem voracissimum!
nuclei amygdalae insunt, glut... iucunde sapiunt!
scrunc!
iam!
scrocc!
scrocc!
scrocc!
scrunc!
concedite nunciam, regina, placentam venenatam non fuisse?
at quo morbo praegustator meus laborat?
Obelix!
perpauci nuclei amygdalae reliqui sunt...
POF POF
iubete praegustatorem venire, ut sanem!
quotiescumque aliquid facturus sum, Asterix, dominus meus, vetat!!!
quia Obelix dominus nescit se dignum praebere regina praesente!!!


cum hoc potaveris, praegustator, valebis!
me plagis igitur delectari tibi placet, nucleis displicet?
tempus est, ut plagis, et tempus est, ut nucleis delecteris!... est quidem hominis bene educati!!!
glut, glut, glut.
valeo... multo melius...
optime valeo: esurio!
quod praegustator subita valetudine correptus est, placenta non fuit causa, sed infirmus eius stomachus qui cibos unctos concoquere non potest.
iniusta eram erga vos, Galli. itaque in libertatem vos vindico. praegustator autem, cuius stomachi causa regina reginarum erravit, dimissus est!
in illa placenta tantum veneni inerat, ut cohors tota necari posset. antidotum nos servavit...
gratias vobis ago! munus praegustatoris vitam mihi ingustabilem atque venenatum reddidit...
valete, tempus gustandi est!
revertamur ad aream. auctor insidiarum nobis reperiendus est!
antidotum, Asterix – quid est?
prope aream...
evertis quidem me, Idefix!
Horo gratia, quod revertistis: ut primum comprehensi estis, Numerobis evanuit!
!!!


Obelix, eamus ad Nilomagum, qui, ubi Numerobis sit, certe scit!
paulo post...
hunc nobis cursum tenendum esse Faximilis dixit.
SCHOLA
ostium aperite, quaeso, aut aperiemus, per Belenum!
cuius sunt illae voces, per...
Ga... Ga... Gagaga...
en ipsi Galli adsunt dominumque tuum Nilomagim convenire volunt!
spectatum eam, num adsit.
bene facis! prosequimur te!
aliquis te convenire vult, domine...
?!
ACTA AEGYPTIACA
APUD SEMIRAMIDEM
SERAPEUM DEDICATUM EST
vosne?
nonne Cleopatra vos obiecit croco...
confessus es!
tu igitur Cleopatrae illam placentam venenatam mitti iussisti!
placentamne? quam placentam? numquam nescioquid iussi. ne vivam, si iussi!




nunciam nobis dices, ubi Numerobis versetur!
nemo quisquam nos dicere coget, neque me neque Morphologum meum, annon?
ego equidem dicere malim: Numerobis in doliario est inclusus in sarcophago.
homo ignave!
recte dicis, domine!
ego istos duo observabo, tu autem sarcophagum e doliario apporta!
apportabo, Asterix!
Asterix, sarcophagus... quid est?
est quidem arca magna atque gravis!
ah, teneo!
paulo post...
haec est una atque sola arca, quam reperire potui, sed gravis non est!
haec certe est, Obelix!
modo explicanda est.
licetne mihi explicare? est enim quasi donum mihi necopinanti datum.


quomodo vales, Numerobis?
vertigine laboro!
sine dubio laborat, quia omnibus rebus caruit, miserrimus Numerobis!
me superatum esse concedo. prohibere volui, ne domus perficeretur. des veniam, oro!
do! vos autem nobiscum venite, ut fides vestra nostra ratione temptetur.
paulo post in area...
haec omnia mihi perferenda sunt, quia me corrumpebatis, ut tanta facinora committerem, domine...
fac taceas atque trahas!
aedificium celeriter procedit, Numerobis!
vobis triumviris gratia, Panoramix!
eodem tempore in regia Cleopatrae...
ave, Cleopatra! quaerendumst, num domus procedit, quia dies constituta impendet.
ave Caesar! procedit prospere quidem, mi Iuli. brevi diem dedicationis omni apparatu celebrabimus.
ave Caesar!
ave miles. Discoquis, explorator meus Aegypticus, arcessetur!
ave Caesar!
ave, ave Disoquis. Cleopatra me traductura est...
quamquam Numerobis, qui domui faciendae praeest, iners esse dicitur, aedificium die constituta perfectum iri apparet. spectatum i, quae in area fiant, per Iovem!



me hoc subligaculo indutum nemo recognoscet.
vobisne opus est operario levis staturae aptoque ad gravia opera tollenda?
immo operario nobis semper opus est. illi ordini te insere!
cave, ne Nilomagis atque Morphologus potionem accipiant!
caveo quidem.
GLUT! GLUT! GLUT!
miror, quod neque custodibus neque loris utuntur. ceterum quid hoc sibi vult?
GLUT! GLUT! GLUT!
quae mira mixtura! signum laboris repetendi datur.
BUUUUUUUU
?!
quaero ex me ipso, num illa potio... experiamur!
per Apim!
attat! quo ille currit?
vah! eiusmodi operarios satis habemus!
subside clunicubis, Idefix! up!
?


o Caesar! mira quidem vidi in area! operarii aliquam potionem magicam bibunt vim eis tribuentem, qua saxa immani magnitudine ferre possunt. bibi illam potionem!
te nescioquid bibisse suspicor, Discoquis...
mihine credere nolis, o Caesar? ut sim natura effeminatus atque imbecillus, tamen fortissimum custodiae tuae virum superabo!
Alicassi, huic iactatori nonnullas alapas duc!
CLAC
hi! hi! hi! hi! hi! hi! hi! hi! hi! hi!
TAX
hi! hi! hi! hi! hi! hi! hi!
!?
hmmm... bene... Alicassi, discedere licet... gratia est.
hihihihi! hihihihi! hihihihi!
verum dicere videris... tamen nemo mihi notus est ad talem potionem miscendam aptus nisi unus...
... qui longe abest... est enim Druida Gallicus quidam...
Druidane Gallicus?
sunt viri Gallici in area et quidem tres!
quid? unusne Druida bene barbatus, alter parvus callidusque, tertius crassus atque rusticus?
iidem ipsi sunt, o Caesar!
Asterix, Obelix Panoramixque, illi Galli invicti, qui soli artis magicae periti sunt... aliquid agendumst!


prima luce insequentis diei...
*cucurucuuu!
et paulo post in area...
domine! domine! venite, ut, quae mira fiant, videatis!
age, quae fiunt, Faximilis?
operarii in aream non reverterunt... nemo adest nisi captivi nostri, Numerobis atque Morphologus!
?!?
vide, quae nova fiant!
videbo, domine!
brevissimo tempore post...
legionarii aream circumstantes operarios arcent, ne ad aream perveniant!
Gallos seditiosos, qui, ut scimus, in area se occultant nomine Caesaris dedi iubemus, alioquin vos aggrediemur!
?!!
ex Cleopatrae voluntate hic sumus neque opus imperfectum relinquemus, pro Teutates!
hoc vos paenitebit, per Iovem!
quid nunc agendumst, per Isim?
aream defendendi causa muniamus, per Belenum!
recte dicis, per Belisamam!
licetne nobis discedere per pedes?


fac saxa acceleres, Obelix!
iam advolant!
en munitiones perfectae sunt!
cre... creditisne iis ipsis Romanos repelli posse? ...
aggrediuntur!
milites Romani, cum aggrediuntur, ratione utuntur, quae nomen trahit a testudine...
bombax! bombax! bombax!
BOMM
BOMM
linguam contine, amabo te, Obelix!
bau! bau!
milites Romani, cum fugae se mandant, ratione utuntur, quae nomen trahit a lepore...
levem quidem cladem accepimus, sed nunc undique aggrediemur... undique! discedite in omnes partes!
discedemus — turpissime!
e vita discedere malim!
ab armis discedere praestat!
mallem terra discederet, ne tales logi mihi audiendi sint!!
bombax! reverterunt!
bau! bau!


aggrediuntur ex utraque parte, repelle eos in altera, Obelix!
repello! repello!
in meridiana parte...
mitte me! nonne videtis me iam repulsum esse?!
a sinistra...
uni contigit invadere!
evadere liceat! evadere liceat! evadere liceat!
post impetum...
vicimus! ita deis placuit!
nos quidem reppulerunt, tamen nonnullis contigit in munimentum invadere.
nobis ipsis contigit, sed humano quodam modo nos pulsaverunt, ut effugere possemus...
quae cum ita sint, eos tormentis aggrediemur – extra iocum!
ecce tormenta!
mmm... istae machinae mihi displicent!


revera paulo post...
RAC
BOMB
meam domum!
Cleopatra certior facienda est, ut Caesarem prohibeat, ne tormentis nos aggredi pergat.
bene consulis! compone nuntium, Faximilis, qui ad reginam afferatur!
nunc autem cavendumst, ne mendose componam... no ta coniugen da est cum... cum praeposita est notae!...
SOCC
Idefix nuntium Cleopatrae afferet!
Idefixne?
at canicula minor est, quam ut...
ut parva sit, tamen acuti ingenii!
ecce nuntium!
brevi cognosces!
?
age, Idefix, Cleopatram investiga!
?
iam dixi caniculam minorem esse, quam ut intellegat!
valde erras de canicula, quae pulcherrime cluniculis subsidit et... et... et...
age, age, Obelix, mitte iram... iocabar... egomet ipse caniculae viam monstrabo!
canicula mea minor dicitur!
fac, Panoramix, mihi magnum haustum potionis des, dum Obelix oculos aversos habet!
sacramal!! vaha! dumdonecquoadquamdiuut cum quia quod....
paulo post...
medias in res, Idefix!
?



attendite!!! unus ex obsessis abire vult!
VOCC
esne paratus?
sum!
TUX
?
TAX
advolavit... avolabit...
cito parta cito dilabuntur...
paulo post in regia Cleopatrae...
petis, ut a me audiaris, o vir Gallice?
ita est, o Cleopatra. canicula mea nuntium vobis affert.
quae pulchella canicula... os ei apportetur!
res male se habet! Iulius Caesar perdere nescit, pro Isis! abire licet, vir Gallice! omnia curabo, per Ammonem perque Helium!
SCRUNC
SCRUNC
SCRUNC
tacedum, Idefix, donec recens reginae praegustator os tuum praegustaverit!
CRRRRRR!



attendite!!! unus ex obsessis redire vult!
SSACCC
ecce, Obelix, canicula tua revertit mandatum diligenter persecuta!
ain' tu?
reginam celerrime aliquid acturam spero, quia regia catapultis Romanorum ruitura videtur!
revera in castris circumclusis...
o Caesar, cum in illis comprehendendis minus prospere successerimus, idem ipsum efficitur: regia evertitur!
bene, Chore, optime!
ave Caesar... cach... aliquis Caesarem convenire vult...
quisnam?
TIM
BUM
tattat
tattat
TARATANTARA
?!?


ehe... regina mea... regina reginarum...
tace!!! ubi primum, quae facta essent, comperi, sine ulla mora regiam reliqui, ut vestes mutare noniam possem!
hu!
et qui sponsionem facit, honeste se gerat necesse est et Gallos arcessere mihi licuit et Aegyptios optimas regias construere posse tibi demonstrabo...
et cupio et opto, ut Romani architectos pergere patiantur atque antequam recedant delata reficiant et me piget...
... et...
et omnia, quae vis, fient et veniam a te peto et fiat tua voluntas...
BADIM
BADAM
TARATAAAAA
PSSSS!
qu... quid ergo faciendumst...
et ab obsidione recedendumst et omnia reficienda sunt, trunce!
AVE!
diram animam in naribus eius vix pertuli!
quae ut supra dictum venustissimae erant...
ecce Romani ab obsidione recedunt, per Belenum!
vicimus, per Teutatem!
cuius autem merito?



postquam omnia everterunt, nobis omnia reficientibus adsunt...
delirant isti Romani!
veto, Numerobis, veto!
tectum hoc modo fastigatum pulchrius iudico...
denique dies bonus adest...
actum est! Cleopatram certiorem facere possumus!
regina mea! domum regiam confecimus ad diem constitutam*!
*quod illo tempore rarissimum erat in arte aedificandi.
quod tu quae promiseras servavisti, ego quoque promissum servabo, pro Isis!
auro obruatur!
noniam totus obrutus est!
reveniemus!
cras Caesarem in triremam meam regio apparatu ornatam invitabo...
... quae nos ad regiam vehet, ubi Caesari demonstrabo populum meum nihil degenerasse!
dum spiro, spero!


postridie...
regia haud spernendast!?
adsunt!
ubinam?
ligamenti secandi causa, o Caesar!
o regia reginarum, tibi ipsi ligamentum secandumst, quod me victum esse concedo... tantae venustati cedere libet.
populus reginae applaudit Solem implorans...
RA! RA! RA! RA! RA!
en?
illud EN incredibile fuit!
epulae quattuordecim milibus exstructae sunt (tredecim milia convivarum exspectabantur, sed Aegyptii superstitiosi sunt)...
salutem debeo vobis, qui me professionem aedificandi didicistis... itaque aurum meum vobis est!
tibi adfuisse nos gaudio affecit... quid nunc ages?
mihi Nilomagim reconciliavi...
unitis viribus pulcherrimas maximeque fastigatas pyramidas construemus!


postea apud Cleopatram...
cum omnia acta sint, domum revertimur, o regina!
quae nares!...
quia incredibilia effecistis, Galli, gratiam meruistis reginae reginarum: me ipsam!
offero tibi, o Druida, hosce codices pretiosissimos e bibliotheca mea Alexandrina electos...
nares... na... maiestas vestra benignior est, per Belenum!
quae nares!
quod mihi minus videtur pro auxilio vestro... quomodo vobis gratiam referam nescio...
semper servi vestri erimus... et cum quando nescioquid construere voletis, e.g. fossam a Sinu Arabico ad Mare Internum...
... arcessite unum e nostris, per Teutatem!
paulo post...
generosam Cleopatra se praestabat, quod triremem suam obtulit, ut in Galliam revertamur...
et triarchus signum profectionis dat...
DING! DING!
DING DING
BUMM
omnibus viribus porro!
credisne nos iterum piratis obviam ituros, Asterix?
nescio quidem, Obelix, sed eos non longe hinc abesse opinor!
revera in cavernis navigii...
hic labor mihi suscipiendus est navis persolvendae causa. qua soluta furciferos Gallicos investigabo!


postquam complures hebdomadas regio apparatu fruentes vecti sunt...
SCROCC!
SCROCC!
... aliquando apparet...
ecce triremem!!! Asterix, Obelix Panoramixque reverterunt!
canticulum praeparabo et...
vicani Gallici heroes suos animis inflammatis epulisque solitis paratis excipiunt...
... et haec omnia effecit... Idefix!
... nares ei sunt, amicissime, exemplum narium!
diebus insequentibus omnes felicissimi sunt... paene omnes.
veto, Obelix, veto!
... displicent mihi cippi novo more a te facti! viri vere Gallici maneamus!
FABULA FINEM HABET
UDERZO


RAX!
delirant isti Romani !


paulo minus valeo, Panoramix!...
nullo modo, Obelix, potionem magicam accipies! milies tibi dicebam te natum infantem in eam incidisse!

ad unum omnes cognoscas necesse est!







Überall wo es Bücher gibt!

ISBN 3-7704-0056-9
9 783770 400560
DM 24,80, ab 1.1.2002 EUR [D] 12,70